

Q. N.
356.3.

(X190 4416)

II S
274

Q. D. B. F.

DISSERTATIO ACADEMICA

In qua

AVES PARADISIACAS

& primario

HARUM REGEM,

BENEVOLO SUPERIORUM CONSENSU

In Illustri Academia Salana,

CURIOSIS NATURÆ SPECULATORIBUS

PRÆSIDE

M. DANIELE GRÜZMANN/

Stolbergâ Cherusco, P. L. C.

sistit

NICOLAUS BONENBENS / Lüneburg.

ad d. 20. Julii Anno redempti orbis M DC LXVII.

H. L. Q. C.

JENÆ Recudebat JEREMIAS NEPPIUS.

cb. l. c. LXXXIIX.



DISSERTATION

HARUM REGNI

IN

CHURCH

OF

THE

EMPIRE

OF

THE

EMPIRE

OF

THE

EMPIRE

OF

THE

EMPIRE

OF

THE

EMPIRE

OF

THE

EMPIRE





PROOEMIUM.




I tecum, benevole Lector, ani-
 mi causâ exspatiatur in am-
 plissimum naturæ regnum,
 multa ibidem mira, visu ta-
 men jucundissima, nostris ob-
 jiciuntur oculis: Ingrediamur
 jam saltem instructissimum
 ejus aviarium, conspiciamus
 hic ea, quæ & oculos & mentem ad se convertunt,
 nosq; in admirationem rapiunt. Hoc faciunt inter
 alias aves istæ, quibus aliqua avis pars deesse dici-
 tur; tales sunt, quas *quidem rostro lato & figurâ
 cochleari, sine Lingua tamen* natura progignit ac
 propter mare Brasilicum alit, teste Scaligero Ex-
 erc. 228. §. 4. qui insuper hic habet placitum Summi
 aliàs Aristotelis de avibus enunciantis: γλωττιαν
 ἀπαντες ταύτων δ' ἀομοίαν scil. ἔχουσι. In hist. an.
 l. 2. c. 12. Quo pertinet avis *Eme* ab Indis appel-
 lata, Struthioni non absimilis, quæ *quoque linguâ
 destituta pomum, pugni quantitatem referens,
 deglutire dicitur*, referente id M. Blocio in suis per

Saturam, ex novi orbis scriptoribus, histor. ex Hül-
sii navig. Jonstonius verò, quæ hujus avis mentic-
nem injicit, eam linguâ carere, nec adstruit, nec de-
struit. Idem præstant *columbae*, quibus fellis à natu-
ra denegata, juxta veterum versic. *felle columba
caret*. Et avis *Grutte* dicta, magnitudine Gallinæ
& colore attagenis apud Bellonium. Sed columbas
quod attinet, Franzius id non de totali fellis ca-
rentia, sed de ejus parvitate ita, ut usu fermè ca-
reat, intelligendum vult. His annumerantur *apo-*
des non quidem sensu Aristotelico, quo *κακόποδες*,
nuncupantur *ἀποδες*, quales hirundines & falculæ.
v. hist. anim. l. 1. c. 1. & conf. ejusd. l. 9. c. 30. ubi iis
tribuit hirsutam tibiam; quo etiam tendit Plinius
l. 10. c. 39. sed proprio; veluti dicuntur esse *Cinzo-*
nes, quibus de Salmuthius in not. ad Pancir. l. 2.
tit. 1. ex Indicarum rerum scriptoribus refert, *eas in
Mexicana regione existentes, pedibus carere,
rore tantum vivere; exque earum pennis Chi-
nenses picturas concinnare artificiosissimè*. In
horum numerum multi aves paradisiacas retule-
runt, pedes eis, naturâ ipsâ invitâ, adimentes.
Quam sententiam non turba solum *πολύτροποι*,
sed & subtilissimus Scaliger, Aldrovandus, aliique
non imæ cavæ Philosophi alunt. Sed harum a-
vium genus quod concernit, aliud dies jamdudum
docuit: aliud Principium Gazophylacia vel (si ita
loqui

loqui liceat) rarithecias & Clarissimorum virorum
 Musea loquuntur: id quod jam tum viri doctissi-
 mi prodiderunt. Idem naturæ patrocinium pro-
 mittit illa; quâ Maximè Rever. ac Excell. Dn. D.
 Joh. Ern. Gerhardi, Patroni ac Præceptoris nostri
 ætatem & summè multis nominibus colendi, mu-
 seum, Vir pl. Rev. ac Cl. Dn. Schellhammerus,
 Pastor in Bataviâ Orthodoxus Hagiensis nobili-
 tavit. Est ea non vulgaris Paradisea, sed ipse ea-
 rum Regulus, cedro ac auro dignus, cujus sche-
 ma pagina adversa exhibet. In quo exquisitissi-
 mo naturæ spectaculo cum multa ἀξιολογητέα
 observaverimus, quæ multorum votis satisfacere
 poterunt, operæ pretium duximus, hujus scruti-
 nium accuratius instituere, eumque curiosis natu-
 ræ scrutatoribus delineare; quamvis summam Re-
 guli hujus elegantiam rudi nostro penicillo exæ-
 quare haud valeamus. Præmittemus autem ge-
 neralem avium harum descriptionem.

DEUS cœpta secun-
 det.



A 3 SECT.




SECT. I.

De

AVE PARADISI IN
GENERE,

§. I.


uantum scriptores de hujus avis natura, tantum quoque de ejus *etymo*, variis innitentes conjecturis, dubitarunt. Juxta magnum illud literati orbis miraculum Salmasium aves paradisi vocantur, quod ex longinquis & incognitis locis adferantur, Exerc. Plinian. ad Polyh. Solini p. 1054. Salmuth. supra cit. & Schottus in Phys. Cur. alique ob eximiam plumarum pulchritudinem, quâ præ aliis excellunt, ita dictas opinantur. Alii exinde nomen fortè invenisse volunt, quod referente Scal. in Exerc. c. 228. & Mercat. in Alt. Min. aliisque, superstitiosè apud exteros creditum fuerit, aves has à Paradiso mitti Muhammedano. Quæ postrema quamvis cæteris certior videatur, nolumus tamen certi quid determinare, eum aliis aliud plausibilius sæpissimè appareat.

§. II. Satis autem generale hoc nomen primâ fronte videtur, ita ut cuique avium in paradiso, hortorum elegantiorum primitiis, optatissimo Protoplastorum habitaculo, vel enatarum, vel degentium accommodari possit; Usitatè tamen illi, in cujus descriptione versamur, avi rarissimæ imponere siveverunt; Ex quarum corte simul exire jubemus, quibus ad Physonem fluvium & in Ægypto nomen hoc inditum fuisse à Jonstonio histor. av. l. 6. t. I. c. I. traditur.

§. III. Aliàs avem hanc linguâ quidem non nostrâ, sed Moluccarum, vel etiam aliarum Insularum unde mittuntur, vernaculâ *Manucodiatam* ut Scaliger, Clusius, Martinius,

nus, Schottus, Jonstonius, Kirchmajerus, seu ut alii, Manu-
 codiatam salutant: quæ vox communiter, ceu composita
 ex *Manuco & Diata*, avis Dei explicatur, ad Clar. Mart. Lex.
 Quomodo & celebris Philologus Megiferus in Lex. Polygl.
 Manuca avem Americanis significare docet: Clusius autem
 refert incolas alicubi à Nautis interrogatos, quo nomine
 insigniantur, respondisse, *Boeres* i. e. aves vocari, siquidem
 illi aves ulterius distinguere nesciant. Scaligero, & qui
 eum sequitur, Gesnero *Indicia ἀπρς*, quod pedibus carere:
 & Medicis quibusdam *Der Luffivogel* quod in aëre habitare
 creditum fuerit, vocatur. Aliis verò Medicis dicitur Cha-
 mæleon aëreus, ut Hippocrates noster Salanus Nobilis. Ro-
 lesincius retulit: quod etiam Chiocco in descript. Musei
 Calceolariani allubescit, qui tamen nominis rationem non
 adjecit. Nobis hæc subesse videtur, quod uti Chamæleon-
 tem, animal terrestre, sic manucodiatam, aëreum animal,
 aëre vivere creditum fuerit. Præterea sunt, qui eam Rhyn-
 taci à Veteribus dictam censent: quâ de re nos pro ingenii
 nostri modulo non habemus dicere. Vid. Maj. coll.

§. IV. Diximus antea superstitiosè quosdam deceptos
 credidisse, avem hanc è Turcarum mitti Paradiso, Genuina
 igitur nunc ejus *patria* erit quærenda. In *Indiam Orientalem*
 ablegant nos omnes, quos quidem inspicere licuit Autores:
 in quâ tamen ab alio huc, ab altero illuc deducimus. Si
 Cardanum, Guilandinum, Hugonem à Linschoten, Man-
 delsloum, quorum duo posteriores, has alieno sole calen-
 tes, terras ipsimet lustrarunt, sequimur, deprehendimus Ma-
 nucodiatas in *Moluccis* insulis, ditissimo Europæorum aro-
 matopolio, caryophyllis, cinamomo, ligno paradisi aliisque
 judice Mandelsloo itin. ind. l. 3. referto. Clusius, majores
 harum avium in Insula *Aru*; Minores in Insulis *Papuis*, Gi-
 lolo vicinis, reperiri edoctus est à nautis Belgicis. Saar *av-*
τόπις in Itiner. p. 37. Cui consentit Schottus & alii, Javam
 Majo-



595

Majorem nobis ostendit: oculatus testis alius Insulam *BANDAM* assignat. Quæ sententiæ omnes satis amicè conspirant, dum unam eandemque plagam respiciunt. Solus ab his Majolus ex Kirchmajeri in tractat. de ave paradisiac. sententia recedit, qui eas in *Africa* quæsit, an invenerit, nescimus?

§. V. Postquam in Patria appulimus, ipsam nunc avem inspiciamus oportet, priùs *de sexu* ejus quicquam moventes. Sunt, qui in diverso pennarum dorsum tegentium, colore, discrimen sexus, constituunt: de quo nihil audet asserere Clusius. Salmuth illum pro mare agnoscit, è cujus dorso fila gemina nigra, utrinque in rectum extensa procedunt: confirmatque suam sententiam testimonio Linschotani, qui ejusmodi mare unà cum foemina inæstimabile D. Paludani technophylacium condecoravit; quas ibid. Excell. noster Gerhard. in cursu suo literario, cum clarissima Belgii, Galliæ ac Helvetiæ, lumina contueretur, deprehendit. Eadem est Cardani sententia, in eo saltem digrediens, quod unum filum, tribus palmis longius, mari tribuat, quem vide lib. X. de subtil. Verùm Aldrovandus characterem hunc pro ridiculo habet, omnibusque tam masculis quàm foeminis fila illa concedit.

§. VI. Lusisse dicitur etiam natura in ave hac nitidissima varietate *specierum*, quarum quinque Aldrovandus recenset: tot scilicet quot se observasse testatur, qui consulendus, cui ad manus; vel Jonstonius, qui eas ex Aldrovandi commentariis mutuatus est. Clusius verò eas ad duas redegit species: alteram Majorum, alteram Minorum. A quibus alii diversum sentiunt, qui Manucodiatas non tam specie, quàm exiguis quibusdam accidentibus differre opinantur.

§. VII. Num igitur variantes ac discolores hæ aves variam quoque *magnitudinem* habeant, haut prætereundum erit.

B

erit.

erit. Cardanus corpus avis paradiseæ rostrorumque magnitudine & forma assimilat hirundinibus: cui non contrariatur Aldrovandus, cuius inter quinque species, major nulla (quoad corpus scilicet non autem pennarum amplitudinem) hirundine fuit, referente Schotto: nec contradicit Clusius. Scaliger nihilominus Cardanum correxit, quasi Cardani avis juvencula fuerit, exinde quod navigatores in Java Majori, columborum instar, offenderint: & quod ipsemet: quandam maximâ pica non minorem, ac à rostro ad ouropygium semipedem excedentem ab amico exceperit; Quare censura ob solam magnitudinis discrepantiam suscepta, fortè superflua fuit, eum uno veluti ore & reliquerum Magistrâ experientiâ ulteriori instructi hoc eloquantur; non ita quidem ac si Scaligeri genuinam non fuisse statuamus, sed potius, quod illa alterius speciei, si ita quis loqui velit, fuerit: cum & Guillandinus hanc avem apud Majolum coturnici faciat similem. Unde vehementer nobis arridet Jonstonius, Polyhistor celebratissimus, qui certam iis magnitudinem adscribi posse negat.

§. VIII. Pulcherrimæ avem paradisi *forma* esse, ex iis, quæ in aliorum monumentis literariis jam tum consignata legimus, abundè clarum est. Non tamen idem omnibus est calor: nec uno colore aliqua inter eas conspecta fuit. Aliis caput insigniter flavum & egregiè viride esse dicitur, quarum alæ fusci & corpus crocei feruntur coloris: aliæ candicare, adpersis maculis fulvis dicuntur: aliæ alia facie superbiunt. Pennas habent tenerrimas, speciosas ac per longiora filamenta multum deductas. Caudam natura addidit longissimam bifurcatam: ita ut ex ouropygio duo nervi, filis futuriis similes, pennis oblongiores prodeant. Hæc Ἰντόμως à nobis allata plenius & ornatiùs imò planè ὀφθαλμοφανερῶς depicta ac descripta.

avi-

596
avidus Lector apud Clusium & Aldrovandum inveniet.

§. IX. Nobilis autem hinc inter Autores Nobiles circa corporis habitudinem oritur controversia, *an nimirum avis hæc perinde ut alias instructa sit pedibus?* Negativam antehac tenuerunt Philosophi illustres, quos inter est Scalliger ille aliger, Cardanus, Aldrovandus & alii. Dies verò diem docuit, & experientia testis non dubius felicius nos informavit, ut meritò nunc affirmativæ sententiæ à Recentioribus palma tribuatur. Rem in utramque partem Schottus, vir perdoctus, in Physica sua Cur: pertractavit curiosè; curiosius verò id excusit Clariss. Kirchmajerus, qui ejusmodi aves paradisiacas, pedibus instructas, ex Gazophylaciis, Dresdensi & Gottorpiensi in Theatrum produxit, rationesque pro affirmativa præmissas confirmavit. Quo ipso hujus rei ignaros instruxit, testes auritos reddidit oculatos, Clusii vota implevit & Schotti scrupulos exemit; ad quæ lectorem remittimus, ne aliorum scrinia nos compilare videamur.

§. X. Erroris autem inveterati ansam dederunt infelices illarum insularum, unde mittuntur, Anatomici, qui avem hanc recens inventam exenterare ac pedes commoditatis ergò abjicere solent. Hoc nuper *ò deiva* in ipsis Insulis coram diligenter observavit, cujus relationem, Nobilissimus Bosius rarioris eruditionis propugnaculum, Patronus noster magni æstimandus, nobis communicavit, narravit ille idem, quod Clusio relatum fuit, incolas simulatque has aves acceperint, earum intestina atque pedes abjicere & arefactas verum exponere, quo eò commodius cassidibus, pennarum loco, aptari possint. Præterea error ille plures alios sat grandes peperit. Hinc enim enatum, quot rore has aves victitare, in aëre pendulas, pennis in orbem,

B 1

ex-

extensis, dormire crediderint: Finxerunt naturam velut providam matrem, foeminae ventrem, dorsum masculo excavasse, ut ovis in cavo maris dorso depositis, commodè incubare & pullos excludere possint. Sed partim apinae sunt affaniaeque, partim merae conjecturae dudum ab aliis profligatae. Quibus tempus insumere nolimus.

§. XI. Devenimus tandem ad *Capturam Manuco-*diatae, quam Clusii verbis & fide, cum non in omnium auctor ille sit manibus, proponemus. Narratum fuit illi, aves has turmatim, Rege comite, volare & siti laborantes, unam è caterva ad aquam, an morbida nec ne? explorandam, mittere. Hinc insuper ex nautarum relatis addit: *Insulanos aquam hac ratione solere insicere ad aves captandas. Conspicientes harum avium aliquam turmam praevolvantem, quo sese conferat, observant: atque ubi avem missam bibisse & revolasse vident, ilicò venenum in eam aquam injiciunt; quam dum tota turma gustatum venit, insicitur & sic praeda fit. Sed etiam illas aves interdum sagittis peti solere: atque si contingat, illarum Regem interfici; illo cadente, reliquas aves quae in ea turma, simul cadere & sese comprehendi sinere, tanquam amisso Rege vitam retinere nolentes.* Ipse autem Clusius hoc fabulae proximum judicat. Sed multi aliter sentiunt putantes aves has non nisi demortuas, colligi. Quod etiam oculati illius testis, cuius modo mentio injecta est, calculo approbatur, cui ipsi Insulae Bandae incolae pro certissimo narrarunt, se nunquam sup. aves has vivas vidisse, certo autem anni tempore eas extinctas ibi locorum reperiri. Quae de his dixisse sufficiant.

SECT.

De

REGE AVIUM PARADI-
SEARUM.

§. I.

Progredimur nunc ad primarium dissertationis nostræ argumentum, Regem sive Ducem harum avicularum ostensuri. Siquidem felix nunc ille dies illuxit, qui id, quod multi videre gestiverunt, ante oculos nobis posuit. Describemus illum ex *αυτοψία* eâ facie, iis coloribus, quibus eum illustre Viri Exoticarum & rerum & linguarum peritissimi, Theologi Celeberrimi, Johannis Ernesti Gerhardi Museum, cujus in procœmio meminimus, nobis conspiciendum exhibet.

§. II. Est certè *Museum Gerhardinum* hoc tale, in quo multa rara & naturæ & artis Musarum oculis ablandiuntur. Exspatiare literarum cultoribus? præsto hic est sylvæ Exotica antœnissima, ligno Cedrino, Cupressino, Rhodio, petrifico, aliisque instructa: Epulas, ambulatiunculâ confectâ, instituere discipiunt? En mensam ibidem speciosam, quam ab ipso dixeris Apolline adornatam: Patinæ adsunt è Chinâ & Persiâ missæ; cultelli & cochlearia Turcica affabre concinnata: panis ministratur ex orientalibus & occidentalibus Indiis: afferuntur nuges Castaneæ & fabæ, quas India, cancri, quos Portugalia mittit; Bibere licet non auro tantùm & argento, quod nostro seculo vulgare, sed conchyliis variegatis, ovis Stuthio-cameli, nucibus Indicis, imò & ipso Rhinocerotis cornu, egregiis, regiis dicere volebam,

B 3

bam,

bam, poculis. Mensam secundam exornant multa, omnium maximè tamen Rex noster Manucodiatarum.

§. III. Est autem Rex hic, si levia quædam exceperis similis illi, cujus Iconem & descriptionem peritissimus Clusius in suo auctario producit. Sicut verò hic Majorum Paradisearum genus distinxit à Minorum; ita & unicuique peculiarem præfecit Regem. Prioris generis Regulos duos ipsummet Amstelrodami se conspexisse tradit, ejusque generis Iconem addit. Quò etiam nostrum pertinere, schema in disputationis nostræ atrio appensum luculenter demonstrat.

§. IV. *Magnitudo* ejus est talis, ut vides, quasi hircundinis mediocris esse solet; sive corporis molem, sive Pennarum amplitudinem spectare velis. Longitudo à caudæ extremitate adusque rostri mucronem quartam ulnæ partem fermè adæquat: Si verò ab alarum complicatarum apicibus incipias, eam superat.

§. V. *Caput* illi est pressum & tantum, quantum habitudo corporis permittit: *rostrum* unciam est longum ita quidem, ut inferior superiori parti paululum cedat, colorem rostro ejusque plumulis seu pilis potiùs, quibus superna ejus pars ad medium usq; tegitur, quemadmodum & anteriori capitis parti. Clusius tribuit rubrum; quod à nostra quodammodo alienum, cujus nostrum dilutè flavescit, & plumulæ à rubore ad flavedinem, auro purissimo proximam, indicant. Mediâ capitis parte, utrinque circa oculos, parvas maculas nigras impressas habet.

§. VI. *Collum cum pectore*, nostri perinde ac Clusiani, exilibus pennis saturè rubris quasi sanguinei coloris tectum, ut sericeis staminibus constare videantur: nisi quòd ima pectoris pars, pennulis (pectoralis instar formatis) non atris, ut Clusiani, sed ex atro virescentibus ornetur.

§. VII.

§. VII. Omnes deinde *dorsi* pennulæ puniceo vel rutilo colore, oculorum obtentum ex voto pascen- te, præditæ, insigniter splendent; quibus *venter* indu- tus, albæ sunt. Utrinque à pectore prodiens pennarum fasciculus apparet, quem his verbis adumbrat Clusius: *quas* (intellige pennas) alis proximæ nigræ, & earum quinque aut sex (in nostro plures) in singulis lateribus, paulò longiores: binas videlicet uncias æquabant, atque in latiorem extremitatem viridi elegantissimoq; & splen- dente haud secus ac feræ enatus masculi collum prædi- tam *desinebant*.

§. VIII. *Alas* veras & genuinas, non tantum alarum pennas, ut quidam de vulgaribus Manucodiatis scribunt, habet Rex noster, quæ parte prona ejusdem cum dorso sunt coloris, supinâ ex flavo fusci. Singu- las autem alas pennis remigibus tredecim conflare Clu- sius asserit; in nostro vel sedecim curioso contactu depre- hendimus. Longitudo earum quatuor unciis seu pollici- bus respondet.

§. IX. Nec prætereunda nobis *cauda*, inter omnes avium ordines conspicua. Constat illa pennis aliquot brevioribus, unam unciam sive pollicarem latitudinem longis, quæ adversâ rufum, fuscum aversâ parte colo- rem præ se ferunt, quod in schemate nostro, cum su- pinum jaceat, oculos fugit. *Ex ouropygio*, ulterius ver- ba nostra faciamus, *inter caudæ pennas binæ prodeunt velut setæ equinæ, tenues quidem firmæ tamen, septem, uncias longæ, colore nigras, sed quarum extremitates ad unciam longitudinem in orbem convolutæ, ab uno duntaxat latere tenuissimis villis præditæ, qui pronâ parte coloris viridis saturè splendentis & elegantis, pene instar pen- nularum, quæ anatis feræ maris collum tegunt, magnam sanè*

II.

sanè venustatem toto avicula: corpori addentes, supina ve-
rò earum pars fusci coloris est.

§. X. Quæri interim hîc poterat, *cujus gratiâ per illud nervorum natura cauda addiderit?* Nonnulli pervulgato illo errore, quod apodes hæ aves sint, ebrii, somniantur veriùs quàm cognoverunt, eas geminorum horum filorum ope, arborum ramis implicatas, requiescere; memores illius, quod natura nihil faciat frustra; & quod unius defectum alterius abundantia supplere ac compensare soleat. Verùm, eo nihil obstante, nos soli ornatui fila hæc dicata arbitramur, perinde ac pavonum capita eminentibus, præ cæteris, coronantur plumulis. Hinc etiam in regulo nostro, majori quàm in cæteris & regali ornamento, ut ex inciso præcedente patet, fila hæc sunt prædita,

§. XI. Sed audio hîc quendam tacitè objicientem: *quo jure creditus hic Regulus suo nomine & titulo utatur, quum inter cæteras sui generis mutilus sit, & pedibus careat?* Novimus utiq; Clusium diligentissimarum Exoticarum scrutatorem hic silere & pedes reguli præterire: cum vero relationibus quorundam fidis, reliquas paradiseas pedibus instructas esse, morem lætabundè gesserit, sententiamque suam in meliùs mutarit, non dubito, illum nec de Regis cruribus, dubitasse, licet illi, cujus Iconem expressit, nulla fuerint. Novimus etiam creditum vulgo fuisse, solum Regem inter aves has Indicas pedibus seu cruribus carere. Quam opinionem erudito orbi Nobilis. Olearius revelavit, qui ad lib. 3. itin. Ind. Mandol. hæc adjecit: *Wir haben in der Sottorfishen Kunst-Kammer etliche (andere Paradies Vögel) welche zweene vollkommene Beine und Füße haben; der Regulus aber oder König der Paradies Vögel hat von Natur keine Füße / sondern*

sondern am Schwanz zwei lange Strahlen / als Pferdehaar / an
derer Ende schöne umgekrümmte grüne Federn / mit welchen er sich
an die Bäume anhängen kan. Hæc ille cum vulgo loqui-
tur, qui tamen extra omnem dubitationis aleam, cum
eruditis sentit.

§. XII. Tam lyncei autem nos sumus, ut, quæ
pro hac opinione militet ratio, perspicere possimus.
Cæcum in regno cæcorum imperare dicunt; sed mu-
tilum inter integros, imperfectum inter perfectos, Re-
gem ac Ducem destinatum à natura, credat, qui volet.
Quis quæso animalium genus alatum, cujus Rex alis:
aut auritum, cujus Dux auribus careat, in regno physico
vidit? Naturam enim in tam necessariis deficere, haut
vero est simile. Hoc è contrario, qui in rerum natura,
curiosos attollentes oculos, peregrinantur, deprehen-
dunt, animantium Reges, regio quodam dono, nobili-
tatos. Sic apum Regem subditis suis longiorem, re-
giam incolere, ipsimet sæpissime deprehendimus. Hinc
Plinius l. II. c. 16. ita de apum Regibus scribit: *Omnibus
forma semper egregia & duplo quàm cæteris major, pen-
næ breviores, crura recta, ingressus celer, in fronte ma-
cula quodam diademate candicans. Multum etiam ni-
tore à vulgo differunt.* Ubi tamen addimus, duplo ma-
jorem nobis nunquam, visum, visum verò esse paulò ma-
jorem, quæ & Franzii est sententia.

§. XIII. Imò si pedibus careret, sequeretur, Re-
gem, reliquis alterna requie gaudentibus, vagabundè
perpetuò volare. Dicunt quidem illum filis, è cauda
prodeuntibus arborum frontibus alligari, ut ita locus
quieti detur: ast sic fila illa in vulgaribus paradiseis, cru-
ribus quippe instructis, erunt frustranea: sequeretur
quoque illum reliquis incedentibus, jacere truncatum ac
C
mise-

102
miserum: quæ, cum experimento destituantur, meritò
deseruntur.

§. XIV. Certè si natura, ceu iniusta noverca, ita
cum Rege ageret, putarem, illum postulaturum, ut cæ-
teræ quoque aves, pedibus demtis, vitam degerent:
quòd ipse pro regiâ suâ, quâ pollet, majestate, faciliùs
exequi posset: ac vulpecula illa in apologo, quæ cum
caudâ privaretur, sodalibus, ut etiam sine caudâ appen-
dice supervacaneâ, incederent, persuadere annitebatur,
quanquam frustra. Vel aves paradisiacæ ipsæmet, ne-
mine urgente, in gratiam Regis hoc facturæ essent, non
secus, ac Galli illi, in claudi Regis placitum, olim clau-
dicantes.

§. XV. Sed ne joco rent seriam dijudicemus,
sistimus tibi, Benevole Lector, ipsum naturæ exemplar,
Regulum pedibus instructissimum: regredere modò
haur gravatim in Theatri nostri vestibulum, ubi antea
Iconem Regis nostri admiratus es: huc oculos, huc
mentem: Vides ibi pedes, pedes, inquam, vides: pedes
pro avis magnitudine perfectos, vides crura, digitulos
ac ungues sat grandes, milvinis similes; quibus si fidem
adhibere nolis, ipsum illustre Gerhardinum Mu-
seum adi, manibus id pal-
pabis.



AXIO.

AXIOMATA.
REGULUS AVIUM
PARADISEARUM
EST

I.

Rarissimus. Fuerunt antehac aves etiam vulgares paradisiacae admodum rarae, dum vix unus & alter, pretio licet magno, illam comparare sibi potuit, ut proinde multum gratiae ac pretiositatis Virorum Excellentium Museis conciliarit: Successu vero temporis turmatim ferè in Germania nostra volare caeperunt: siquidem in Clarissimo Electoris Saxonici rarithecio vel duodecim adventantibus ostenduntur, sicut Vir Clariss. Kirchmajerus detexit: non unica sed plures etiam Gottorpiense ornant: multis praeterea hinc inde dispersis. Rariores tamen has intersunt illae, quae pedes adhuc integros servarunt, quarum aliquot Lipsia asservat: quales etiam Dresdae & Gottorffii, ut supra dictum, videre licet: talem etiam Excellent. Weig. Math. P. famigeratissimus, Gothae conspexit. Rarissimus tamen avium harum Rex est; Qualem nunquam fortè ad nostras advolasse oras, si nostrum exceperis, aliorum Virorum Summorum, non nostrum est iudicium.

II.

Pulcherrimus. Intuemur enim in eo caput nitidum, amabile rostrum, varios naturae lusus; colores ejusmodi, qui vel dexterrimas pictoris ingeniosi manus defati-



fatigare valeant: gaudet rubedine insigni ac oculos insipientium detinente: superbit hinc inde virore vivacissimo ac Smaragdum vincente, nec ineleganti venter albedine tegitur.

III.

Pretiosissimus. Si enim vulgaris Manucodiata, ut Guilandinus scribit ad. Majol. Coll. 6. canic. *tanta est in veneratione apud incolas, ubi colligitur, ut etiam se illâ Reges ipsi in bello tutos existiment, quamvis in prima acie collocati fuerint;* multo majori veneratione dignus ab iis censebitur regulus. Vulgarem itidem à militibus magni aestimari, eaque cassides ornari, à Cardano & Scalligero discimus. Idem ex effigie Imperatoris Turcici, cujus galeæ avis hæc ornamentum addit colligimus; ubi quidem vulgarem exprimunt: à viris autem Doctis, eum Rege delectari, accepimus: & quidem rectè cum simile simili gaudere soleat: Et quidni pretiosa hæc nostra, quum sit avium Rex, cum vix antea visa.

Cætera iis, quibus naturæ adyta penitus ingredi concessum, relinquimus. Deo sit

Laus.



CL.



CL. DN. PRÆSIDI,
NEC NON EXIMIO
DN. RESPONDENTI

DE
REGE PARADISIACO

ELEGANTISSIMAM DISSERTATIONEM

publicæ disquisitioni

SUBJICIENTIBUS

S. P. D.

Rex paradisiacus Vos nunc ob-
lectat amoenus
Jova Reges faciat Vos para-
disiacos.

Apocal. 1, 6.

benivolentiae & quidem singulari testande

L. M. Q.

adjiciebam

JOH. ERNEST. GERHARDUS,

SS. Th. D. & P. P.

C 3

Quand

100
Quand je n'aurois de belles Mar-
ques

De la valeur de vostre Esprit,
Je serois un des Aristarques,
Ne vous prisant an cet escrit.

à Mons. le Respondant son amy & Fateur

CHARLE CAFFA, D. P. P.

Non omnes phocidos supremum
scandere montem

Admittit rigido plena labore via.

Tu BONENBERGI, nos hos numeran-
dus es inter,

Cui datur ad summum tendere ri-
tè decus.

Perge gradum grandire, & erit Tibi
adorea laudis,

Ingenii splendor morte jacere ne-
quit.

*Pra-Eximio ac Eruditissimo Dn. Respondenti, Theo-
logia cultori indefesso, amico ac Fautori
suo colendo l. m^q. p.*

M. JOH. AUGUSTUS Stempel / SS. Th. St.

Per-

602

PErpulcram pulcrè volucrem dum
pingis, *AMICE*;
Egregiæ laudis præmia lauta
feres.

*Amoris Mnemosynon exiguis hisce, qui
majora debuit, scrib.*

M. JOHANNES MARCI, Mechlenb.

TE decorat *PIETAS* præstans & can-
dida *VIRTUS*,
Nec non doctrinæ concomitan-
tur eas.

Doctrinam prodis, dum publica pul-
pita scandis,
Et monstras præsens ingenii spe-
cimen.

Gratulor, his cœptis Summus bene-
dicat Iova,
Ipse tuis studiis semper adesse velit.

*Paucis hisce Præximii atq; eruditè docti Dn. Respon-
dentis, amici & contubernalis sui certissimi
studiis laudabilibus gratulari voluit*

CHRISTOPHORUS SCHRÖDER,
Stilhorniô Luneb.

In-

at
H
274
I Ngenii dotes, nec non conamina men-
tis

Egregiæ monstras, non sine laude
TUA.


Perge ita, sic scandes aliquando cul-
men honoris;

Sic sere, sic tandem maxima mes-
sis erit.

*Ad eruditiss. Dn. Respond. Contuber-
nalem conjunctissimum votivâ
manu scrib.*

DANIEL DIETERICUS MUXOL,
Ulzâ Luneb.

FINIS.



107

mc

Q. K.
356.3.

AVES

BE

M. D

NICO



MICA

SIACAS

EM,

CONSENSU

TORIBUS

izmann/
C,

ⓑ / Lüneburg.
DC LXVII.

EPPIUS.

